



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

[Prologus.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

PARS I.
TRACTANS PROLEGOMENA,
MATERIAM DE DISTINCTIONE ET
ENTE RATIONIS.

PROLOGUS.



Absolutâ parte Introductoriâ ad universam Philosophiam aggredior ad corpus primamq; ejus partem, Logicam scilicet, quæ incipientibus spinosa videtur & dura, ut propterea multi abeant retrò, occinentes sibi quoq; ; durus est hic sermo quis potest eum audire? quia tamen nihil tam difficile quòd non dulcis solertia vincat, nec spinæ lædant nisi incautè tangentes, neq; saxa dura offendant nisi incurios, apum instar relictis aculeis de spinis rosas carpendas, oleumq; de saxo durissimo legendum puto, & sic materiam proponam totam, in prima verò parte hæc agam & tractabo non modo Prolegomena, verùm etiam de distinctione & ente rationis, quamvis incomperito sit materias hæc considerare, magis esse Metaphysici, quam Logici, ut proinde putet Suarez d. 54. errorem esse de ente rationis tractare in Logica, existimo tamen perinde esse ubicunq; tractetur locorum, dummodò non ignoretur, unde utiliùs censeo hic eas explicare, quoniam per totam Logicam continua de ente rationis est mentio, distinctio adhuc magis hunc locum sibi vendicat, cum ea differendi modi pars sit, sequitur etenim divisionem, quam qui discretè adhibet benè docet, & benè defendit, quâ ignoratâ dubium non est quemq; gravius audire, quare cum universale sit, distinctionem claritatem parere, tenebras confusionem. Igitur sit

DISPUTATIO I.
DE NATURA LOGICÆ.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Logica?

Datur Logica.

Logicam Dari res omninò est certa & manifesta, ita qui contra diceret sapientissimos, imò & sanctissimos Doctores qui eam secuti, aut commentariis illustraverè, insipientiæ & amentia argueret, cujus inventores qui fuerint fusè tradunt plures Scriptores, & inter alios Conimb. & ut loquar cum D. August. lib. Civit. cap. 25. *Neq; enim ipsi (id est antiquiores Philosophi) instituerunt ut ita esset, (scilicet Philosophia tripartita in Rationalem, na-*

turalem, & moralem) sed ita esse potius invenerunt; Ad quæstionem ergò veniendo congruentissimum duxi ante alia examinare ejus naturam, quidq; per Logicam intelligatur explicare, nam de rebus agendo nominum rationem indagare nequaquam supervacaneum esse dixit Plato in Cratylò, quem Aristoteles quoq; sequitur I. post. 1. dum dicit, Omni disputationis initio Etymologiam & vocis interpretationem præponendam esse, Quare nota veteres Philosophos diversimodè sumpsisse Logicam & Dialecticam nam Dialecticam dicebant facultatè disceptandi & differendi ex probabilibus; quibus faveret quoq;

Varia Logica acceptio-